

Optatam fer opem! precum valore!
Armis nil agitur; Dei potentis
Res sola est, solidam dedisse PACEM.
Expectate, veni, genuque flexo,
Effusis precibus, Deum fatiga,
Vt finem dederit piis querelis,
Et pacem referat, sacrasque palmas,
Cygneo populo, TIBI adgementi,
Toti Teutoniae diu petitas.

Expectant EPHORI manus, pedesque,
TEMPLUM VTRUMQUE, SCHOLAE, BIBLOTAMION,
Et LEGATA Virum prioris aevi,
Quae nostris rapuit, sciditque alumnis,
Belli luctifici vorax abyssus.

Expectant Ephorum Nosodochea,
Et, quae plura gemunt, jugo sub arcto,
Sylvae, interluvie viae meantes,
Lignorum canones sacri caminis,
Lugens pauperies, PIAEQUE CAUSAE,
Nostri Museoli grauis ruina.
Quid non bella trahunt iniqua secum?
Agni diffugiunt metu luporum,
Cedunt accipitrum minis columbae,
Hymni Pierii silent sub armis.

Tendunt et Parochi per arua, palmas,
Ad partes EPHORI pie tuendas;
Quem contra dubiis subinde rebus,
Tutorem validum vident futurum,
Vt, qui legitimi, probique gnarus
Æquatâ dirimat bilance causas.

TE vero brevibus, finas, volebam!
Audi, pro solito modo, loquentem!